DE

IMMACULATO CONCEPTU VIRGINIS MARIÆ

DOGMATE DEFINITO

—

QUAE vox missa recens septem de collibus almis
Arcano intonuit verbo, lateque per orbem
Virginis intactae monuit, cecinitque triumphum,
Quo mulier magis ipsa suos attollit honores!
Et prima aethereas quam pulchra in luminis oras
Affulsit mulier, quos et sub pectore motus
Virgineos volvit, quum certo foedere amoris
Olli subrisit Genitor, vultusque tuendo
Sinceros sibimet placuit! Sese ipsa ferebat
Incessu ceu Diva loci per amaena vireta
Deliciis gavisa suis. . . Tamen insita virtus
Excidit ex animo, et nimium dulcedine capta,
Infelix! primae potuit succumbere culpae.
Et cito se nigra involvit caligine coelum,
Incubuere simul terrae insidiaeque, dolique,
Livor edax, et caecus amor, Diraeque minaces,
Et secum omne nefas tunc impia saecla tulerunt . . .
Una datum potuit coeleste abrumpere foedus
Foemina, et ipsa nocens portas occludere coeli.
Una simul Virgo in melius convertere sortes
Humanas! Sed ne foret ulli obnoxia culpae
Quam prius aeterna pulchram sibi mente Creator
Finxit, et inde suo quo replet flamine vitas

Ipsius irradians castae genitricis in alvo
Concipit extemplo prisca sine labe parentis.
Sic, agitante Deo, genitam cecinere Prophetae,
Sic et Christiadum chorus, et late omnibus simae
Virginis insonuit sic nomen semper in ore.
Et, qui nos uns sub religione receptos
Imperio regit, et Superis commercia miscet,
Nunc, animis ne quid dubii, aut lethalis inesset,
Quod fuit ante *Fides*, sit *Verum Dogmate* firmat.
Assensere omnes acciti e finibus orbis
Praesbyterûm proceres, atque ipsa e Tibridis oris
Religio se se attollens fulgentibus alis
Advolat, et populis fert nuntia laeta triumphi,
Et tibi, Parthenope, quot gaudia! Jam undique plausu
Non intermisso sonuerunt Templaque, et Arae;
Certatimque pios animorum fervere motus,
Atque preces ultro festivs vidimus urbe.
Et modo nos inter (*), Virgo o purissima, votis
Annue, sint nostri tibi sacri pectoris aestus:
Quocumque s coelo flectis pia lumina, vatum
Hic tibi devotae resonant concentibus orae;
Atque excussa, sonat Pontani pectine eburno
Antiniana, tuos de culmine Mergilline
Virgineos partus cecinit Sincerus, et illis
Affluxit quam, Diva, tuus vigor almus inundans!
Et quoque tu vires animis nunc suffice nostris,
Ingenioque adsis praesens tu flamen amoris;
Atque sub auspiciis gaude magis omne per aevum
Artibus et studiis patriae succrescere fastus.

G. [illegible]

(*) Questo componimento fu letto dall'autore nella solenne tornata dell'Accademia Pontaniana destinata a celebrare la definizione del dogma dell'Immacolato Concepimento.

Estratto dalla Strenna la Ghirlanda Anno II 18[illegible]